



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 6. Utrùm ad charitatis habitualis augmentum requirantur actus ipsa
intensiores.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

Prob. Quia charitas habitualis vel est gratia sanctificans, vel saltem veluti proprietas gratiae sanctificantis, ab ea de lege ordinaria inseparabilis. Atqui homo iustus, quandiu viator est, amittere potest gratiam sanctificantem. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam gratia sanctificans neque per se immediatè hominem iustum confirmat in bono, neque habet sibi infallibiliter annexas gratias efficaces ad vitanda omnia mortalia, ut patet ex innumeris, qui post acceptam in baptismo regenerationis gratiam, peccant mortaliter. Ergo homo iustus, quandiu viator est, mortaliter peccare potest. Atqui gratia sanctificans per mortale quodlibet amittitur: hoc enim dicit Scriptura Ezech. c. 18, ubi legitur: *Cum averterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in eis: in iniustitia, quam operatus est, morietur* (morietur scilicet spiritali, quæ in gratiæ sanctificantis privatione consistit.) Ergo homo iustus, quandiu viator est, amittere potest gratiam sanctificantem.

R. 2. Charitatem habitualement amitti per quodlibet peccatum mortale. Ita docet S. Thomas 2. 2. q. 24. a. 12. & cum eo Doctores omnes.

Prob. Nam charitas habitualis necessariò amittitur, cum amittitur gratia sanctificans; cum ipsa vel sit gratia sanctificans, vel saltem sit proprietas illius, ab ea inseparabilis, ut jam observatum est. Atqui gratia sanctificans amittitur per quodlibet peccatum mortale; quia, ut aperte docet Scriptura, Deus in statu præsentis providentiæ decrevit hominem in poenam cuiuscumque peccati mortalis privare gratia sanctificante, seu, quod idem est, privare vitam animæ, quæ in gratia sanctificante consistit. Ergo, &c.

Confirmatur. Habitus infusi destruuntur per actus malos, specialiter oppositos actibus illorum, & cum eis impossibiles, ut patet in habitibus fidei & spei, quorum hic per desperationem, ille verò per positivam infidelitatem corrumpitur. Atqui omnis actus vel quasi actus mortaliter malus, specialiter opponitur actui charitatis, seu actui quo Deus propter se diligitur super omnia, & cum eo impossibilis est, actus enim, quo Deus propter se super omnia diligitur, est virtualiter & exercitè noliō efficax omnis peccati mortalis, adeoque noliō omnis peccati mortalis, ejus volitioni & commissioni arguitivè contradictoria. Ergo charitas habitualis destruitur per quodlibet peccatum mortale. Vide S. Thomam loco citato.

Quæres 4. Utrum charitas habitualis possit augeri?

R. Cum S. Thoma 2. 2. q. 24. a. 4. Charitatem habitualement augeri posse in homine iusto, quandiu viator est.

Prob. 1. Ex Apocalyp. cap. 22. ubi dicitur: *Qui iustus est, iustificetur adhuc: & sanctus sanctificetur adhuc.* Ergo iustus viator potest magis ac magis iustificari, potest magis ac magis sanctificari. Atqui non potest magis ac magis iustificari, & sanctificari sine augmento charitatis habitualis. Ergo, &c. 2. *Ratione.* Quia, ut dicit S. Thomas art. proxime citato in O. *Ex hoc dicimur esse viatores, quod in Deum tendimus, qui est ultimus finis nostræ beatitudinis.* Ergo quandiu sumus in via, tandiu possumus tendere in Deum, ut est beatitudo nostra: seu, quod idem est, tandiu possumus progredi versùs Deum, ut est beatitudo nostra. Atqui hic progressus fieri non potest, nisi merendo plures & plures gradus gloriæ. Ergo quandiu sumus in via, tandiu novos gloriæ gradus mereri possumus, adeoque mereri possumus novos gradus charitatis habitualis: gradus enim gloriæ retribuendæ correspondent gradibus charitatis habitualis; neque plures aut pauciores erunt gradus gloriæ in patria, quam fuerint gradus charitatis habitualis in via. Ergo, &c.

ARTICULUS VI.

Utrum ad charitatis habitualis augmentum requirantur actus ipsa intensiores.

RESPONSIO.

Charitas habitualis augetur non solum per actus ipsa intensiores, sed etiam per remissiores.

Prob. 1. Homo iustus toties meretur augmentum charitatis habitualis, quoties meretur augmentum gloriæ, ut patet ex supra dictis. Atqui homo iustus meretur augmentum gloriæ per actum charitatis; etiam si habitus charitatis remissior sit. Ergo, &c. *Prob. min.* Supponatur homo iustus ut sex, producere actum charitatis intensum ut tria tantum. In hac suppositione, homo iustus producit actum charitatis, remissorem charitate habituali, quam habet. Atqui tamen per actum illum meretur de condigno augmentum gloriæ. Ergo, &c.

Prob. min. Nam homo iustus meretur de condigno augmentum gloriæ, per omnem actum qui Deo gratus est, & proportionem habet cum gloria sufficientem ad meritum condignitatem. Atqui in hypothesi facta, actus charitatis elicitus, gratus est Deo quod non habet difficultatem, & proportionem habet cum gloria sufficientem ad condignitatem meriti; nam etiam secundum adversarios, haberet in homine iusto tantum ut duo, nec minorem habere potest, eò quòd eliciatur ab homine iustiore & sanctiore: repugnat enim per maiorem sanctitatem minui æstimationem operis, sed è contra ex hac parte necessariò crescit. Ergo, &c.

Prob. 2. Si homo iustus non meretur augmentum charitatis habitualis, nisi per actus charitatis intensiores ipso habitu, cum homo iustus mereri non possit augmentum gloriæ, nisi simul mereatur charitatis habitualis augmentum, opera pietatis ab hominibus iustis elicta ex charitatis affectu, ipso charitatis habitu remissiore, non mererentur augmentum gloriæ. Consequens videtur aperte repugnare Concilio Tridentino. Ergo, &c.

Prob. min. Nam Trid. sess. 6. c. 16. sic loquitur: *Nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est, quominus plenè illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta... vitam æternam suo etiam tempore, sitamen in gratia decesserint, consequendam, verè promeruisse censeantur.* Ergo ex Trid. ut opera iustificatorum verè promereantur gloriam, requiritur & sufficit, ut sint in Deo facta. Atqui ut censeantur esse in Deo facta, sufficit ut sint facta ex affectu placendi Deo, adeoque ex affectu charitatis, sive affectus ille sit intensior ipso charitatis habitu, sive non; & quòd opera pietatis non fiant in Deo, nisi fiant ex affectu charitatis, qui sit ipso habitu intensior, aperte falsum & absurdum videtur. Certè manifestè falsum & absurdum est, dicere opus pietatis, factum ex affectu charitatis intenso tantum ut tria, factum esse in Deo, si is qui fecit, iustus est solum ut duo; secus si iustus est ut quatuor. Ergo, &c.

Obj. 1. Est homo iustus charitatis habitualis augmentum mereatur per actus ipso habitu remissiores, saltem augmentum illud non statim confertur. R. hoc neg. Nam nulla est ratio huius dilationis. Præterea, quòd statim conferatur, aperte docet Trident. sess. 6. cap. 10. ubi loquens de incremento justificationis acceptæ in Sacramento, adeoque de incremento habitualis iustitiæ, sic ait: *Sic ergo iustificati, & amici Dei ac domestici facti, euntes de virtute in virtutem, renovantur... & per observationem mandatorum Dei & Ecclesiæ, in ipsa iustitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, crescunt, atque magis iustificantur.* Quibus verbis in sensu proprio & obvio sumptis, sicuti sumi debent, cum non sit ratio ea aliter accipiendi, aperte significatur iustitiam habitualement, quæ ex parte consistit in habituali charitate, per bona opera in Deo facta crescere & augeri simpliciter, adeoque incrementum illius non

non differri, sed bonis operibus in Deo factis statim conferri.

Obj. 2. Qui longo tempore frequenter elicit actus charitatis remissos, non experitur facilitatem in eliciendis ejusmodi actibus intensioribus. Ergo signum est, quod habitus charitatis non augeatur per actus remissos. *R. neg. conf.* Nam ratio cur ille facilitatem in eliciendis actibus charitatis intensioribus non experitur, est quia habitus infusus, qualis est charitas habitualis, aut nullo modo facilitat, aut saltem non facilitat sensibilibiter. Veritas hujus responsionis demonstrari potest ex eo, qui sæpe Sacramenta recipit cum dispositione remissa: non enim majorem facilitatem experitur in exercendis actibus charitatis, quamvis in eo charitas habitualis augeatur.

Obj. 3. Charitas habitualis crescit quidem in esse gratiæ per actus remissos, at non crescit in esse habitus & qualitatibus. *R. hoc gratis & intelligibiliter dici, nam charitas habitualis non potest crescere in esse gratiæ, nisi per additionem novorum graduum.* Non possunt autem novi gradus addi prioribus, quin charitas habitualis crescat in esse habitus & qualitatibus: cum enim sit essentialiter habitus & qualitas, hoc ipso quod novos gradus accipit, fit habitus & qualitas intensior.

Dices. Charitas habitualis crescit moraliter in esse gratiæ per actus remissos, non crescendo in esse habitus & qualitatibus, quatenus propter actus remissos homo magis acceptatur ad gloriam, quamvis non recipiat novos gradus, quibus in eo intendatur charitas habitualis. *R. hoc dici non posse:* Deus enim eatenus hominem acceptat ad gloriam, quatenus dat illi jus proximum ad gloriam; atque ita Deus hominem magis acceptat ad gloriam, quatenus dat illi jus proximum ad gloriam majus. Deus autem non dat homini jus proximum ad gloriam, nisi per infusionem charitatis habitualis, quæ ideo dicitur semen gloriæ. Ergo Deus non dat homini jus proximum ad gloriam majus, nisi charitatem habitalem prius infusam intendendo per additionem novorum graduum. Ergo Deus non magis acceptat hominem ad gloriam, nisi quia novos gradus charitatis habitualis infundit homini; adeoque charitas habitualis crescere non potest moraliter in esse gratiæ, quin simul physicè crescat in esse habitus & qualitatibus: imò physicè crescit in esse habitus & qualitatibus ratione prius, quam moraliter crescat in esse gratiæ; quia ratione prius est, eam per additionem novorum graduum intendi, quam jus proximum ad gloriam majus dari.

Obj. 4. Justus qui exercet actus charitatis non intensiores ipso habitu, eo non bene utitur. Ergo non meretur augmentum gloriæ & charitatis habitualis. *R. neg. ant. 1.* enim quomodo dici potest justus non bene uti habitu charitatis, cum elicit actus charitatis hujus habitui in intensione æquales? Certè si ille habitu charitatis tunc non bene utitur, nec beati in cælo bene utantur: non enim habent actum charitatis intensiorem habitu, ut suo loco dictum est.

2. Malè dicitur justus non bene uti habitu charitatis, cum ex eo producat actum ipso remissiorem: hic enim actus, quamvis ipso habitu remissior secundum intensiorem, est tamen, ut supponitur appetitive summus. Quod autem justus non bene utatur habitu charitatis, cum ex eo producat actum, quo Deum propter se super omnia diligit, malè & falsò asseritur. Justus igitur producat actum charitatis ipso habitu remissiorem, bene utitur habitu, cum ex eo producat excellentem actum & Deo gratum; quamvis habitu non utatur optimè, quia ex illo cum auxilio actualis gratiæ postulat actum excellentiorem, & Deo gratiorem producere. Unde non tantum gloriæ & gratiæ incrementum promeretur, quantum posset promereri.

Dices. Justus producendo actum charitatis ipso habitu remissiorem, operatur negligenter. Ergo non bene utitur habitu. *R. dist. ant.* Operatur negligenter negligentia purè negativa; hoc est, non adhibet in operando tantam diligentiam, quam potest ad-

Simonet Theol. Tom. II.

hibere, vel si vis, non operatur tanto fervore, quanto posset operari. *C. ant.* Operatur negligenter negligentia primitiva, hoc est, negligentia importante omissionem diligentiam, hic & nunc debita vel ex officio vel ex aliquo Dei præcepto. *N. ant.* Alioquin tunc nequidem ad sensum adversariorum mereretur, sed è contra demereretur positive, quia peccaret.

Dices. Scriptura variis locis reprehendit negligentes & tepidos: idem passim faciunt SS. Patres. *R. negligentes & tepidos illos, quos redarguit Scriptura, & post Scripturam Patres redarguunt, non esse eos, qui opera pietatis exercent ex affectu charitatis ipso charitatis habitu remissiore, vel non intensiore; sed eos qui operantur negligenter negligentia privativa & peccaminosa, quales sunt ii, qui ea ad quæ obligantur, non nisi perfundiorè & cum multis imperfectionibus atque culpis venialibus plenè deliberatis exequuntur.* Ad tales pertinet illud Apoc. cap. 3. *Utinam frigidus esses, aut calidus! Sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.*

Obj. 5. Hæc nostra sententia inducit teporem, & fervorem extinguit. *R. hoc perperam dici: cum enim dicimus hominem justum, per actus charitatis habitu non intensiores, aut etiam remissiores, mereri augmentum gloriæ & gratiæ, simul dicimus, & per actus intensiores mereri majus augmentum; & cum Apostolo 1. Cor. c. 15. clamamus omnibus: Stabiles estote & immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino.*

Dices. Secundum hanc sententiam fieri potest, ut is qui nunquam nisi remissos charitatis actus elicit, sanctitate æquet, imò & superet eum, qui elicit valde intensos. *R. hoc fieri posse, si primus diu vivat absque mortali peccato, & actus charitatis remissos frequentissimè eliciat; secundus verò non diu vivat, & sic longè pauciores eliciat intensos, in quo non est inconveniens.* Porro vicissim fieri potest, ut qui non diu vixit, sanctitate æquet, imò & superet justos, qui diu vixerunt, & actus charitatis aliarumque virtutum remissos frequentissimè eliquerunt, quia brevi illo tempore quo vixit, in producendis actibus charitatis, aliarumque virtutum valde intensis sese diligenter exercuit. De tali dicitur lib. Sap. c. 4. *Consummatus in brevi, explevit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properavit e-ducere illum de medio iniquitatum.*

Quæres, utrum aucta charitate habituali, augeantur ceteri omnes habitus infusi, tam morales, quam theologici?

R. cum ea, nec sine ea augeri. Ratio est, quia ceteri omnes habitus per se infusi, se habent ad charitatem habitalem, ut proprietates ad naturam, cuius sunt proprietates, quod indubitatum est de habitibus virtutum moralium, quas à charitate habituali connaturaliter inseparabiles esse, facile concedunt omnes. De habitibus verò virtutum theologicarum fidei & spei suaderetur ex eo, quod nec infundantur sine charitate habituali, & earum consortium ita connaturaliter exigit charitas habitualis, ut sine illis nunquam existat. Quod autem sine ea maneant in homine peccatore, hoc fit per accidens ex speciali favore Dei, contra naturalem exigentiam volentis in fideli peccatore manere principium intrinsecum actuum fidei & spei, sine quibus justificationis gratiam recuperare non potest; manere, inquam, principium intrinsecum, &c. donec illud per actus malos specialem cum eo repugnantiam habentes, demereatur. Ergo ceteri omnes habitus infusi sequuntur charitatem habitalem quoad augmentationem, sicut sequuntur eam quoad infusionem, & sicut eam sequerentur omnes quoad conservationem, sine speciali & innaturali favore, quo, ut dictum est, in fideli peccatore habitus fidei & spei conservantur.

Ex dictis collige, 1. in fideli peccatore habitus fidei & spei non augeri per actus proprios. Ratio est, quia cum habitus fidei & spei non augeantur, nisi aucta charitate habituali, non augentur nisi per actus meritorios augmenti gratiæ sanctificantis:

non enim nisi per actus huiusmodi augeri potest charitas habitualis. Atqui in fidei peccatore actus fidei & spei non sunt meritorii gratiæ sanctificantis. Ergo, &c.

2. Ceteros omnes habitus infusos semper esse in eodem gradu intentionis cum charitate habituali: infunduntur enim & augentur eadem proportionem, qua charitas habitualis. Nam ratio quæ probat ceteros omnes habitus infusos non infundi aut augeri, nisi infusa, vel aucta charitate habituali, probat etiam eos non nisi eadem proportionem infundi & augeri. Hinc iusti homines, etiam eximie sancti, non magis excellunt in una virtute habituali infusa, quam in alia; quamvis interdum in una virtute actuali magis excellent, quam in aliis; seu quamvis per gratiam actualem excitati & adjuvi, in materia unius virtutis excellentius operentur, quam in aliarum virtutum materia, ut docet experientia.

At inquit. Cum excellunt v. g. in exercendis actibus fidei, magis in eis augetur habitus fidei, quam v. g. habitus spei. R. hoc esse falsum: nam propter excellentiores illos actus fidei, fides & spes habitualis augentur eadem proportionem, qua habitualis charitas, adeoque augentur eadem proportionem inter se: unde una non magis augetur, quam alia. Quod si sancti illi maiorem lubinde in exercendis fidei actibus facilitatem experiuntur, oritur hæc facilitas vel ex maioribus gratiis actualibus, quibus excitantur ad credendum, vel ex intensiori habitu per excellentiores fidei actus acquisito.

ARTICULUS VII.

Utrum status charitatis perfectæ excludat actus virtutis spei: ita ut neque timor pœnarum, seu damnationis æternæ, neque amor & desiderium beatitudinis, quæ nostrum bonum est, in hoc statu locum habeant.

S. Anselmus Thomas 2. 2. q. 24. art. 9. distinguit tres gradus seu status charitatis habitualis: incipientem scilicet, proficientem, & perfectam. Nam primo quidem, inquit S. Doctor in O. incumbit homini (iustificationis) studium principale ad recedendum à peccato, & resistendum concupiscentiis ejus, quæ in contrarium charitatis movent. Et hoc pertinet ad incipientes, in quibus charitas est nutrienda, vel fovenda, ne corrumpatur. Secundum autem studium succedit, ut homo principaliter intendat ad hoc quod in bono proficiat. Et hoc studium pertinet ad proficientes, qui ad hoc principaliter intendunt, ut in eis charitas per augmentum roboretur. Tertium autem studium est, ut homo ad hoc principaliter intendat, ut Deo inhaereat, & eo fruatur. Et hoc pertinet ad perfectos, qui cupiunt dissolvi, & esse cum Christo.

Igitur S. Doctor homines iustos constituit in triplici classe. In prima sunt ii, qui Incipientes dicuntur, & quorum præcipuum studium est in nutrienda seu fovenda charitate, pravae habitus alias contractos destruendo, effrenem concupiscentiam reprimendo; tentationes, quibus tunc vehementius & pernicius affligantur, superando; sibi denique à peccatis præsertim mortalibus cavendo. In secunda classe sunt ii, qui dicuntur Proficientes, quique destructis magna saltem ex parte pravis habitibus, resrenata concupiscentia, sedatis tentationum procellis, in hoc præcipue incumbunt, ut per bonos actus & opera pietatis, habituales in se charitatem, aliasque virtutes omnes augeant. In tertia denique classe sunt ii, qui Perfecti dicuntur, quique postquam in virtutibus christianis omnibus per diligentissimum & frequentissimum actuum illarum exercitium multum profecerunt, Deum ardentissime diligentes, hoc principaliter affectant, ut Deo per continuam, quantum in hac mortali vita fieri potest, contemplationem, & amorem continuum adhæreant, eoque fruantur.

Porro incipientes sic dicuntur, non quod tantum nutrant seu foveant charitatem habituales, ne per mortale peccatum corrumpatur; nam actus virtutum, & opera pietatis exercent, & exercendo proficiunt in

charitate habituali, aliique virtutibus; sed quia potissimum occupantur in vitandis peccatis, quibus in eis corrumpetur habitualis charitas; potissimum, inquam, occupantur, &c. eò quod in eo statu vigent adhuc habitus pravi, & effertior est concupiscentia. Unde crebrius & vehementius incipientes ad peccandum sollicitantur, quam ii qui dicuntur Proficientes, quique à pravorum habituum servitute liberi, sicut & à frequentioribus & vehementioribus concupiscentiæ insultibus securiores facti, præcipuam curam ponunt in profectu.

Hoc dicit S. Thomas in resp. ad 2. ubi sic loquitur: *Illis in quibus charitas incipit, quamvis proficiant (per actum virtutum, quos exercent) principalior tamen cura imminet, ut resistant peccatis, quorum impugnatione inquietantur. Sed postea hanc impugnationem minus sentientes, jam quasi securius intendunt ad profectum, ex una parte facientes opus, & ex alia parte habentes manum ad gladium; scilicet ut pugnent contra incentiva peccati, quibus non carent, & contra insurgentes tentationes, à quibus non omnino liberantur.*

Similiter perfecti sic dicuntur, non quod cum attingerint terminum, ultra quem excrecere non possit charitas habitualis, aut quod, derelicto virtutum exercitio, in charitate habituali proficere desierint, sed quia quamvis adhuc proficere possint & quotidie proficiant, ardenti amore Dei flagrant, ad hoc aspirant præcipue, ut per assiduum contemplationis & amoris exercitium uniantur Deo, eoque fruantur. Hoc dicit S. Thomas in resp. ad 3. *Perfecti etiam in charitate proficiunt. Sed non est ad hoc principalis eorum cura: sed jam eorum studium circa hoc maxime versatur, ut Deo inhaereant. Et quamvis etiam hoc querant incipientes & proficientes, tamen magis sentiunt circa alia suam sollicitudinem; incipientes quidem, de vitazione peccatorum; proficientes vero, de profectu virtutum.*

Ex dictis hæc enit apparet, juxta S. Doctorem, gradum seu statum perfectorum ab aliis prioribus differre in eo tantum, quod perfectorum propter ardorem seu intentionem charitatis, præcipuum studium sit inhaerere Deo, eoque frui, præcipuum, inquam, non unicum: vivunt etiam studiosè & vitant peccata & in virtutibus proficiunt. Unde sequitur perfectos præcipue quidem, at non unice affici ad bonitatem Dei absolutam: quare perperam & falso negatur, eos identidem ad operandum moveri à bonitate Dei respectiva, seu in operando intendere proprium interesse ordinatum & supernaturale, quod in vitanda damnatione æternæ, & possessione Dei consequenda consistit. Pro quo sic

RESPONSIO.

Bonum operari & vitare malum intuitu proprii interesse, seu commodi supernaturalis, non repugnat statui perfectorum, adeoque nec amor & desiderium beatitudinis, quæ summum bonum nostrum est, nec timor æternæ damnationis, etiam quatenus est summum nostrum malum, repugnat huic statui.

Prob. 1. ex Script. Nam Psal. 118. dicitur: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem.* Et ad Hebr. c. 11. Apostolus loquens de Moise sic ait: *Magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem: majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improprium Christi: aspiciebat enim in remunerationem.* Ex his autem sic argumentor. Qui malum vitat, & bonum operatur intuitu retributionis & remunerationis æternæ, malum vitat, & bonum operatur ex affectu proprii interesse seu commodi supernaturalis, ut patet ex terminis. Atqui Moyses & David, qui proculdubio perfecti cenendi sunt, malum vitarunt, & bonum operati sunt intuitu retributionis & remunerationis æternæ. Ergo malum vitarunt, & bonum operati sunt ex affectu proprii interesse seu commodi supernaturalis. Ergo, &c.

Præterea, 2. ad Timoth. c. 4. de se ipso sic loquitur